

107e

T. o. 590.

Fortunante CHRISTO!
EXERCITATIONUM ETHICARUM
Ad Lib. X. Ethic.
Nicom. Arist.

UNDECIMA, & ULTIMA,
DE
VOLUPTA-
TE, ET FELICITA-
TE THEORETICA,

quam
PRÆSIDE
FRIDERICO CAH-
LENO, M. & P.L.C. Gymnas. Hall,
nuper Rectore, Præceptore ac Hospite
suo fidelissimo, ac honora-
tissimo,

proponit defendendam
A.D. XVI. Marti, A.Æ.C. cIo cIo LIX.

JOHANNES GÖBELIUS,
Dresdensis Misn.

Literis OELSCHLEGELIANIS.

*Nobilissimis, Amplissimis, doctrina proclara,
sapiencia rara, prudentia politica, virtute
eximia conspicuis,*

DN. CHRISTIANO REICHBRODIO,
à Schrenkendorf. Toparchæ in Klingenberg
& Pesterwitz / serenissimo ac potentissimo
ELECTORI SAXONIAE: à consiliis &
Secretis, Sanctioribus &c.
eminentissimo.

DN. VALENTINO SCHEFFERO,
munitissimæ Florentissimæque Civitatis,
Dresdæ COS. Dignissimo,
gravissimo

UT ET

*Nobili, strenuo atque fortissimo nec non
doctissimo,*

DN. LAURENTIO NISKEN, Juniori, Olim
in Regio Hispanico Exercitu Locum tenenti
Clarissimo Patrono ac promotori suo, Pa-
renti filiali pietatis & observantiæ cultu
colendo, observando,


*Hasce studiorum suorum primitias
tanquam debita gratitudinis in-
dices & perpetuandi favoris illi-
ces humillime offerre.*

JOHANNES GÖBELIUS, Dresdensis
MISER. RESPONDENS.



ΘΕΟΤ ἰδηγῶν καὶ συνπλεῖν!

ΠΡΟΠΑΙΔΙΑ ΑΝΑΛΥΤΙΚΗ.



D portum tandem

cū Philosopho flectenda

EXERCITATIONUM

nostrarum navicula, & in

sine ultimo, ad quem obti-

nendum omnis in Ethico

studio labor dirigitur,

suaviter acquiescendum. Quia igitur SUMMI

BONI natura superius lib. 1. fuerat pertracta-

ta, eiusq; in practicum & theoreticum assigna-

ta divisio, iccirco absoluta illius doctrina, ordine

postulante, hujus nunc vestigare naturam, sed

strictioribus lineis Libro X. & ultimo Ethicor.

ad Nicomachum suum pergit. Agit enim vel

directè de voluptatis partim natura, propo-

nendo tum τὸ ὄν, quod de ea hic sit agendū, Cap. 1.

tū τὸ πᾶσι, quid sit; idque ex sententia vel alio-

rum Philosophorum, tum in genere, cap. 2. tum

in specie, Platonis, quem refutat, cap. 3. vel sui

ipsius, afferendo definitionem Voluptatis, nega-

tivè, Cap. 4. partim de speciebus, & harum

inter se differentia, Cap. 5. Vel Indirectè agit de

beatitudine Theoreticā, tum quoad naturam;

A 2

in ge

in genere, quid sit, & quòd de ea hic agendum sit.
 Cap. 6. Inspecie, quòd consistat in bonis animi
 & virtutibus tum intellectivis, Cap. 7. tum a-
 ctivis, Cap. 8. tum quoad requisita, que sunt
 vel Ethica, ut Natura, Doctrina, & Exercita-
 tio, vel Politica, ut Legumlatio, & juxta Leges
 publicas Educatio. Cap. 9. & ult. Quod ergò fe-
 liciter vivat! Esto

THESIS I.

CAP. I.

DE Voluptate in Ethicâ rectè a-
 gitur.

EXPOSITIO.

Præter rationes, quibus supra Lib. i. c. ii.
 c. i. probavit Aristoteles, Voluptatis & do-
 loris doctrinam ad Ethicam pertinere, qua-
 les erant, 1. quòd faciant multum ad virtu-
 tem & beatitudinem. 2. sint generalia omni-
 um virtutum objecta. 3. quòd voluptas cum
 S. Bono sit conjuncta: alia; h. l. ab eodem
 adducuntur, scil. 4. quia naturæ humanæ ad-
 modum sunt cognata, s. quia latissimè per o-
 mnes vitæ partes sese diffundunt. Omnes
 enim sectantur in agendo jucunda, & aver-
 santur tristia. 6. quia denique magna est in-
 ter Philosophos de voluptate disceptatio.

Verum non *ευπλογίαν* commisit Aristoteles, bis agens de Voluptate. Nam supra lib. 1. quod non est Summum Bonum practicum. In 2. lib. quod est obiectum commune Virtutum moralium. In 3. quod est obiectum speciale Temperantiae. In 7. quod confertur cum continentia & incontinentia. In hoc denique 10. lib. quod est comes virtutis, & ad contemplationem animi necessaria, consideratur.

THES. II.

CAP. II.

V *Arīa* *ē* *contraria* *fuit* *Veterum* *Philosophorum* *de* *Voluptate* *opinio.*

Ευδοξος.

Eudoxus namque & *Epicurus* in Voluptate S. Bonum constituerunt, quia 1. ab omnibus expetatur, 2. quia, si dolor summum malum, sequatur, quod Voluptas sit summum bonum. 3. quia in eo omnia acquiescant. 4. quia eius additione bonum perfectum reddatur excellentius. Verum has rationes, tanquam infirmas, refutat Plato hoc. cap. licet non satis accurate, prout Aristoteles in textu evincit, ipsumque præceptorem refutat, statuentem, nullam Voluptatem esse bonam,

A 3

eam-

eamque potius esse motum præternatura-
lem, cui sententiæ ipse contradicit.

THES. III.

CAP. III.

Nec omnis voluptas est bona,
nec nulla.

EX JEOTIS.

Prior pars Theicos contradicit Philo-
sophis supra citatis, statuentibus, omnem
voluptatem esse bonam, contra quos Plato-
nici militabant his rationibus: 1. quia omne
bonum est qualitas: voluptas verò non est
qualitas. Ergò. 2. quia omne bonum est
definitum: Voluptas non item. E. 3. quia
non est perfecta: est enim vel motus, vel ge-
neratio. 4. quia est turpis & probrosa. E.
non potest dici bona. Verum tamen has ra-
tiones, tanquam infirmas & erroneas refu-
tat Aristoteles, reddens ad 1. negando Majorè,
cum non omne bonum sit qualitas: Ad 2.
Neg. Min. Neque enim omnes voluptates
recipiunt magis & minus, sed tantum volu-
ptates corporis. Ad 3. Neg. min. ejusque pro-
bationem. Voluptas enim nec motus est, nec
generatio. Non motus; quia non fit in tem-
pore, uti motus, nec celeritas nec tarditas ei
com-

competit ratione actus & fruitionis. Nec generatio, quia per illam nulla substantia generatur aut corrumpitur. Ad 4. Neg. quod turpe & probrosum est posse simpliciter jucundum dici, quoniam solum malis & improbis hominibus tale esse videtur.

THES. IV.

CAP. IV.

Voluptas est perfectio quedam actionum & functionum humanarum. Sive: Voluptas est perfecta operationis subsequens signum ἡδονῆς ἐστὶ πλείας ἐνεργείας ἐπιτηγνόμενον τέλος.

Ἐκ θεσις.

Describitur Voluptas ab Aristotele à subiecto, objecto & fine. Subiectum est sensus, qui perficitur ab objecto, tanquam causa efficiente. Hinc perfecta operatio ea est, quæ proficiscitur à facultate sensitivâ optimè dispositâ, agitque in objectum optimè dispositum. Sive autem sint actiones contemplativæ, sive dianoeticæ seu deliberativæ, seu denique sensitivæ, circa singularia occupatæ, omnes illæ judicantur esse perfectæ, ex hoc signo, quando agenti sunt jucundæ. Volu-

A 4

ptas

ptas enim semper comitatur perfectam operationem, tanquam inseparabile accidens, sicut sanæ operationes sunt signum sanitatis, à quâ proficiscuntur. Intelligitur verò *perfectio non essentialis*, quæ est forma, rem constituens, sed accidentalis, ex operatione proveniens. *Vid. Acciaol. in c. 4. h. lib.*

THES. V.

CAP. V.

Voluptates inter se specie differunt.

EX JEONIS.

Probat hanc differentiam Aristot. 1. à *subjecto*: quia à principiis specie diversis proficiscuntur, scil. aliæ sunt operationes mentis, aliæ sensuum: aliæ itidem naturales, aliæ artificiales. Ergò, voluptates ipsas quoque specie diversas esse sequitur. 2. *ab effectu*. quia voluptatum specie diversi sunt effectus: Una enim voluptas sæpè impedit aut obscurat aliam. 3. *ab adjuncto*: aliæ sunt bonæ, honestæ & puræ à dolore, ortæ ex honestis actionibus: aliæ malæ, in honestæ, & mixtæ, quibus aliqua molestia vel turpitudine inest. 4. *à differentia operantium*: aliæ voluptates sunt humanæ, aliæ beluinae: quarum rursus

tot

350

tot sunt differentia, quot sunt earum species. Imò inter homines ob varietatem temperamèti, educationis, maxima est Voluptatu differentia. Ea autem est præstabilissima, quæ ex præstantissimâ operatione provenit.

THES. VI.

EA demum vera voluptas est, quam vir bonus ex actione virtuosâ percipit.

Ex Jure.

Quantum animus corpori, tantum voluptas animi (intellige benè affecti) voluptati corporis præstat. Pariter & illæ voluptates censendæ sunt honestæ & jucundæ, quæ ex virtute à bono viro, cujus solum verum & rectum est judicium, proficiscuntur. 2. quia tales sunt mensura omnium operationum & voluptatum. Optimum enim in unoquoque genere est mensura reliquorum. De Voluptate corporis, quia superius denominatis libris ac præcipuè VII. nonnulla fuerat allata, nihil attinet hîc plura repetere, nisi ut ab ejus turpitudine summoperè omnibus ac potissimum juventuti cavendum, cum Aristotele h. l. aliisque viris sapientibus moneamus.

THES.

THES. VII.

*Voluptas animi virtuosus & rectè
se habentis est perfectissima.*

Ex Jeros.

1. Propter mentis divinam propemodum naturam, quæ ejus subjectum est 2. propter excellentiam finis, quem contemplatur. 3. propter simplicitatem actionis, quæ rerum divinarum cognitioni dedita est. 4. propter perpetuitatem ipsius delectationis, quâ homo felix afficitur.

THES. IIX.

CAP. VI.

*DE Felicitate theoreticâ rectè sub
finem Ethicorum suorum agit A.
ristoteles.*

Ex Jeros.

Quia investigatus hæctenus mediis summi Boni practici, consequens erat, ut quia illo restabat adhuc longè sublimius, & propè divinum, de eodem nonnulla etiam mone-
ret. Quia 2. animus. nisi morum virtute probè imbutus, & rectè educatus, ad cœlestia & divina excitari non potest. Qui enim vel voluptatum immerfus cœno, vel affectu-
um

um intemperiei deditus est, qui, quæso, is respiciat ad divina? Alio igitur fine & modo beatitudo hîc consideratur, quàm supra l. i. Ibi enim de felicitate hominis practicâ, hic de felicitate mentis contemplativâ rerum divinarum & cœlestium agit.

THES. IX.

Beatitudo theoretica est operatio animi per se expetibilis, à virtute optimâ profecta, circa res serias, summas ac divinas.

Ἐκ θεοῦ.

Eruimus hanc definitionem ex hoc cap. 6. lib. 10. & Generis loco cum Aristot. ponimus *operationem*. Est enim hæc felicitas *non habitus otiosus*, quia is in dormiente & ærumnoso quoque esse potest, qui tamē felices actu dici nequeunt. 2. quia bona & honesta agere, est ἐκ τῶν δι' αὐτὴν αἰρεσιῶν, ex iis, quæ per se sunt expetibilia. Adde hinc rationes supra lib. 1. de definitione Boni practici adductas, p. 44. 19. th. Differentia petitur 1. à forma internâ: quod sit per se expetibilis, quia est honum αὐτοπραξίς, & seipso contentum

tum

dum, nullo alio indigens ad sui commendationem, & quia est summum & perfectissimum. 2. à causa efficiente, quæ est virtus optima, & hoc loco intellectualis ac præstantissima, nempe *Sapientia*, quæ est habitus mentis præstantissimus. Vid. 1.6.3. ab *Objecto*, quæ sunt res seriæ & præstantissimæ, cujusmodi sunt res divinæ & æternæ, earumque causæ & principia.

THES. X. CAP. VII.

T*heoria seu Contemplatio est operatio hominis præstantissima.*

Injunctis.

Quia 1. proficiscitur à divinissimâ hominis parte scil. mēte. 2. est circa nobilissimū objectum, sc. res divinas & æternas. 3. est reliquis constantior ac diuturnior, dum minus molesta ac laboriosa. 4. est simplicissima & secundum perfectissimam virtutem sc. sapientiam. 5. est jucundissima, tum propter veram & sinceram voluptatem sibi admixtam, tum propter rerum pulcherrimarum cognitionem. 6. est seipsa contenta, nec eget externis præsiidiis. 7. est maximè per se expetibilis. 8. est divinum quiddam. 9. maximè propria homini.

THES. IX. CAP. IIX.

B*eatitudo theoretica est præstantior practicâ.* *Inj.*

Colligi hoc ex thesi antecedente potest facile. 1. quia in *Theoretica* mens hominis per sapientiam ad divina tendit. *practica* verò per prudentiam ad humana fertur. 2. *Theoretica* in mente reposita tractat objecta; *Practica* in appetitu consistens humana & mutabilia discutit. 3. *Ill*a est seipsa contenta; *hec* multis externis indiget præsiidiis ad actiones civiles peragendas: sc. quatenus quis ut contemplator, non quatenus ut homo consideratur. 4. *Theoretica* Deo etiam & intelligentiis convenit: quibus *practica* in actionibus virtutum moralium consistens, tribui non potest, Cic. lib. 3. de Nat. Deor. 5. *Theoretica* nos præcipue Deo, *Practica* hominibus conciliat & assimilat.

THES. XII.

Bona externa per se ad vitam contemplativam non sunt necessaria.

Ex Jure.

Non enim faciunt ad finem contemplativæ consequendum. 2. Imò multis fuerunt impedimento, quò minus animo à curis libero rerum causis investigandis potuerint vacare, quod exemplo Anaxagoræ, Solonis, Crateris, Democriti, Diogenis & aliorum liquet. 3. quia videmus privatos etiã homines res magnas gerere. 4. consentit rationi & experientia. Per accidens verò, & quatenus Sapientes sunt homines, non ex mente;

solùm, sed & corpore constantes, opus habent aliquibus bonis externis, tum ad vitam sustentandam, tum ad virtutum exercitia continuanda.

THES. XIII.

CAP. IX.

Sola Præceptorum cognitio non sufficit ad virtutis & beatitudinis possessionem.

Ex JEONIS.

Probatur 1. à fine, quia finis virtutis non est sola cognitio, nec ad virum bonum & beatum efficiendum sufficit, sed beatitudo in operatione consistit. 2. à causa efficiente. Quia ingenia præclara, licet virtutis præceptis probè sint instructa, non tamen ipsam virtutem statim per illa acquirunt; ignava verò præceptis non modò non erudiuntur, sed ne inflammantur quidem, dum verbis sibi præsuaderi, ob contractam malis moribus pravitatem, non patiuntur.

THES. XIV.

AD virtutis habitum consequendum

dum tria requiruntur 1 φύσις, h. e. nature bonitas. 2. μαθήσις seu λόγος, institutionis dexteritas. Et 3. ἀσκησις seu ἐθῶν, exercitationis aut assuetudinis assiduitas.

Εκθεσις.

Hæc tria sororio veluti vinculo ita constringuntur, ut si unum illorum desideretur, perfectus, omnibusque numeris absolutus habitus inde consequi non possit; teste Luciano in Dial. ἡ φύσις, ἀνευ μαθήσεως τυφλὸν. μαθήσις δὲ ἀνευ τῆς φύσεως, ἐλλειπὲς. ἀσκησις δὲ ἀπὸ ἀμφοῖν ἀτελής. Scilicet natura incipit institutio dirigit, usus perficit. Sive natura habilitatē s. capacitatē quandā homini tribuit, qua disponitur & idoneus redditur ad virtutem ac habitum aliquem accipiendum. Doctrina viam cognitioni sternit, persuadet, & ad virtutis ac rei bonæ consecutionem hortatur & allicit. Exercitatio & assuetudo denique virtutis habitum perficit, tantumque momenti habet, ut eā neglecta, duo reliqua priora nō multum prodesse queant. Imò, ut juxta Platonem lib 1. de Leg. per se sola possit viros bonos efficere. Quemadmodum

dum Aristoteles eleganti similitudine ab agricultura hoc declarat.

THES. XVI.

Educatio iuventutis sive *Uaidéia* maximè requiritur ad virtutis culturam.

Ε'κ θεοῦ.

Quia 1. mores ad virtutem spontè accommodari nequeunt, nisi à teneris eidem per institutionem assuefiant. 2. quia secundum virtutem vivere homini est injucundum. 3. quia nulla virtus nobis inest à natura, uti supra lib. 2. cap. 1. Exerc. 2. fuit demonstratum, 4. quia major hominum pars tum voluptati tum violentiæ potius obtemperat, quàm rationi. 5. Quia legislatoris officium est, providere, ut boni recte ad honestatè incitentur, mali, qui corrigi possunt, cohibeantur, qui non, ex Republ. tollantur, boni conserventur.

THES. XVI.

Ad educationem rectè instituendam requiritur Legislatorum officium.

Εκ θεοῦ.

Quia secundum Leges formanda est iuventus, nec ex suo cujusq; civis arbitrio. 2. quia

quia futurus bonus vir, & utilis Reipubl. Civis, tempestivè debet legibus adsuefieri. 3. quia sine legibus nec officia domestica rectè perficiuntur, nedùm publica. 4. quia leges sunt ex rectâ ratione & prudentiâ, ut omnia ordinatè fiant in Republ. 5. quia legibus insunt ea, quæ ad rectam educationem sunt necessaria. 6. quia optimè cõstitutæ Respubl. uti Spartana, Atheniensis, & aliæ Græcorum, leges de educatione juventutis utilissimè tulerunt.

THES. XVII.

Magistratus leges oportunas & salutare de institutione publico-privatâ ferre, & præmia industrie proponere debet.

Ex Jeros.

Quia 1. ab institutione rectâ juventutis Reipubl. salus dependet. 2. quia ad præcipuam boni ac prudentis Magistratû curam hoc spectat, in futurum quoque patriæ benè hac ratione consulere. 3. quia quales pueri ac juvenes, tales postea evadunt viri & cives, 4. interest Reipubl. ne quis re suâ, maximè verò subole suâ, malè utatur. 5. quia *fideles & periti Præceptores* largis sunt invitandi præmiis ac publicis mactandi honoribus, utpote qui de totâ Republ. & posteritate optimè

B

meren-

merentur; inepti verò & infideles à publica & privata institutione prohibendi.

THES. XIIIX.

Non quivis idoneus est Legislator, præsertim circa institutionem juventutis rectè obeundam.

Ex Arist.

Ut Aristoteles transitum faciat commo-
diorem ad doctrinam Politicam, quam Ethicis subjungendam affirmat, etiam hanc The-
sin proponit, requisita in Legislatore certa
definiens. Neque enim solum *Politicum*, ex-
perientiâ & usu tantummodò instructum,
neque solum *Sophistam* seu sapientem, (ita
namque olim audiebant Viri docti, causis re-
rum investigandis dediti:) cognitione solâ
præditum, dicit esse ferendis de juventutis
educatione legibus satis idoneum, cum in
bono *legislatore requiratur* nō solum *ἴσχυς*
five *scientia*, quæ est rerū universalium, sed &
ἐμπειρία seu *experientia*, quæ est singularium.
Quia igitur Politici, quâ tales, solum usum &
experientiâ rerum habent circa Rerum publ.
administrationem, nec certas ejus rationes
reddere possunt, quippe qui habent tantum
notitiam *ἴσχυς*, non verò *ἐμπειρία*. Sophistæ iti-
dem, quia in scholis tantum jactant infor-
mationem suam, ignari rerum politicarum
leges

leges verò sunt opera quædam Politica, minus etiam videntur idonei ad constituendas in publicum leges. Itaque petendæ ab iis, qui simul & Philosophi sunt & Politici. Hinc sapientissimus *Plato lib. 5. de Republ.* tum demum fore beatas Respubl. sapientissimè censuit, *Si aut Philosophi iisdem dominarentur, aut earum Rectores rectè philosopharentur.* Verùm quia de his talibus in doctrinâ Politica pluribus & ex professo, quod dicitur, agi solet, iccirco laboris hujus nostri Bono cum DEO, & in hujus gloriam, ut & utilitatem juventutis studiosæ consultò suscepti, pausam facturi sumus, ubi addiderimus de more pauca quædam

CONSECTARIA AXIOMATICA.

I. Voluptas in se est indifferens, nec bona nec mala.

Fluit hoc Consectarium ex Thesis 9 superioribus 1. quia est commune objectum externum Virtutis & Vitii. 2. gratum consequens actionis moralis, sive sit bona, sive mala. 3. à bonis & malis expetitur. 4. sicut omne bonum vel est simpliciter tale, vel per accidens; Ita & voluptas huic potest per se esse bona, quæ alteri per accidens non sit bona, sed mala & noxia, præsertim nisi recta ratio dirigat appetitum sensitivum.

II. O.

II. Omnia animalia appetunt voluptatem.

Quia omnia amant vitam & huius causam etiam voluptatem, quae videtur vitam perficere, aut jucundiores reddere. 2. quia voluptas est amica naturae & grata sensibus. Vid. supr. Exerc. 1. p. 39. Thes. 11.

III. Voluptas comparatè potest dici motus.

Quia ratione Subjectorum, & diversorum in iis temperamentorum tarditatis aut velocitatis particeps est. Arist. 3. Phys. c. 2. Cholericus enim citius iram, & tardius voluptatem, Sanguineus vero tardius iram & celerius voluptatem concipere solent. Alioqui absolute & prout in ipso actu spectatur voluptas, non est motus. Vid. Gi. phan. in lib. 10. Eth. c. 3. p. 780.

IV. Voluptas diversimodè considerata, aliter atque aliter ab Aristotele rectè describitur.

Dicitur enim operatio, quatenus prodit à Subjecto, cui inhaeret: operationis perfectio, quatenus voluptas est finis subsequens, scil. perfectio non essentialis sed accidentalis, quae rei in sua specie constituta supervenit, uti pulchritudo advenit juventuti. Vid. Burle^o, Comment. Ethic. D. E p. 175. Dicitur porro operationis signum, quatenus finis operationem secutus proprie in habitu consistit. Vid. Piccol. gr. 9. mer. c. 99. Christ. Neander Comm. ad lib. 10. c. 4.

V. De

V. De eadem materia in eadem disciplina
nil vetat aliquoties agi.

Accusat hic Aristotelem Franciscus Pa-
tricius in Discurs. Peripatet. commissa *πυτυ-
λογίας*, quòd aliquoties de Voluptate his libris
egerit. Verùm quia non repetitur idem, eodem
modo, ac sine, prout supra Thesi. demonstravi-
mus, ideo immerito ipsi hac *πυτυλογία* impin-
gitur. Et excusat se ipse Philosophus lib. 6. Top.
c. 2. *ὅτι εἶναι τὸ δις φθίγγασθαι πρυτὸν ὄνομα
ἐκ τῶν ἀπὸ τῶν, ἀλλὰ τὸ πολλάκις εἰληθῆναι, τὸ
αὐτὸ κατηγορεῖσθαι.*

VI. Voluptas corporis, quia plerumque mo-
dum excedit, studiosè est vitanda, & se-
ctanda voluptas animi.

Animi voluptas, quia 1. ex perfectorum
animi habituum actionibus oritur, & per se absq;
dolore jucunda est. 2. in præstantiore animi parte
scil. intellectu hæret. 3. contemplando divinas res
ac æternas divinitatem imitatur. 4. verum ac
stabile gaudium sistit, perennem nominis celebri-
tatem post obitum conciliat, merito est amplexan-
da & urgenda. Voluptas verò corporis quia 1.
cum dolore plerumque ac pœnitudine est conjun-
cta. 2. in appetitu sensitivo, potentiâ inferiore a-
nimæ hæret. 3. est valdè noxia, juxta illud Siliii
Italici lib. 15. bell. Pun.

Quip-

Quippe nec ira DEUM tantum, nec tela, nec
hostes;

Quantū sola nocēs animis illapsa voluptas:
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circa te semper volitans infamia pennis.

4. Insuper homines facit *ζουώδεις* seu bestia-
les. 5. certum secura affert, nisi ratione cohibea-
tur intra honestatis limites, exitium, cane περὶ ὄ-
σση ἀνθρώπου ἐστὶν ἀποφυγέουσα. Vid Cic in Offic. Seneca
Epist. 23. & 98. It. de Vit. beatā cap. 4, Came-
rar. l. 2. hor. subseciv. c. 30. & 35.

VII. Dolor, cujus hīc mentio fit, est operatio
ad id, quod est contra naturam, decli-
nandum impellens.

Ὅτιονια τὰ ἐναντία παρὰ φύσιν μαλῶν
φαίνεται juxta Arist. l. περὶ ἔρμην. igitur e-
jus hīc attingenda fuit descriptio. Verūm de va-
ria ejus Divisione, quatenus est vel animi vel cor-
poris; proprius vel alienus, humanus vel beluinus,
alii consulendi sunt Authores, Læl. Peregr. lib.
de affect. tit. de dol. & trist. Jac. Cartesius de
Affectib. Donalds. l. 2. Synops. c. 7. p. 116.
& alii.

IIX. Omnia contemplari est felicitas.

Contrarium olim asseruit Celsipinus, sed re-
futatus à Taurello. Nam si in contemplando

consistit Theoretica vita, & verè contemplari est
 felicitas, sequitur majorem esse felicitatem mul-
 ta contemplari & maximam, omnia contemplari.
 Jure igitur Maro in Georg. l. 2.

Felix qui poterit rerum cognoscere causas.

IX. Magistratus in constituendis scholis
 publicis, & instituenda juventute, consilia
 Virorum Didacticæ probè gnarorum in-
 super habere non debet.

Dici non potest, quantoperè moniti hujus
 Aristotelici neglectus incommodaverit hoc secu-
 lum nostrum, dum quibusdam in locis sola autho-
 ritate & arbitrio suo Superiores circa scholarum
 administrationem singula disponunt, indignum
 rati, Viros rei didacticæ peritos adhibere in con-
 siliis. Quantoperè verò in publica peccetur
 commoda, & quanta juvenilibus studiis obiciatur
 remora, per hanc ἰδιὸς γλῶσσαν, loquitur ipsa dies,
 & conqueruntur emunctioris naris eruditi, Sanè
 uti de calceo sutor, de veste sartor, de suo opifi-
 cio quivis artifex optimè respondebit, ita & Pre-
 ceptori, institutionis publicæ perito & artificio ar-
 tis suæ gnaro fides erat adhibenda, teste
 Philosopho nostro lib. 8. Topic. & h. l.
 Vid. Casel. de lud. lit. aperiend. Casp. Dornav.
 in Ulyss. Scholast. Verū quia veri consilii peri-
 culosa libertas est, quod fatetur Philotas ap.
 Q. Curt. l. 7 27. subseq. Ideò nolumus ultrò ad
 illud accedere.

X. Ni-

X. Nihil periculosius est, & damnosius in institutione publica, quàm sibi ex arbitrio fingere methodos absque suffragio doctorum.

Quia preposterum est & difficile, uniformi methodo diversissima ingenia docere, & indole, ætate, mediis ac finibus discrepantia eodem metiri modulo. 2. quia non datur delectus inter discen-tes, nec proponuntur premia docentibus ac discen-tibus, uti in scholis Jesuitarum, & paucissimis Lutheranorum. 3. quia turbatur potius juven-tus aliis adsuetis methodis, quam ut juvetur, & que putabantur compendia, ipsi sunt dispendia. 4. Vana ista jactantia inventum ac fumum abire solet plerumque, & pro thesauro carbones vendi-tari, teste experientia. 5. Tales Methodistas in-tempestivos ac imperitos magnam cladem de dis-se rei scholasticæ, omnia turbando, innovando, e-vertendo, & vanissimam heresim suam scholasti-cam speciosis verborum lenociniis intrudendo, no-bis quoque per factorum iniquitatem comperiri contigit. Verùm

Animus meminisse horret, luctuque refugit!
Et dabit in plures magnã hæc contagio labẽ,
Helleborum frustra, cū jam cutis ægra tume-
ebit.

Poscas: Qui sapitis, venienti occurrите mor-
bo!

Sed

*Sed sic attonitum novitatis studio hoc seculum
 serò discere damna sua nec nisi magna sumtu-
 um ac temporis jactura assolet, quin adeò de lenifi-
 cis vanissimorum hominum pollicitatibus sæpè
 capitur, ut non audiat recta monentes, bonos, can-
 didos & cordatos Viros, dextre in commune con-
 sultentes. Sed manum de tabula! Consentaneos
 habemus Viros rei didactica peritissimos veteres
 ac recentiores, Quintilianum Sturmium, Ca-
 selium, Bonnæum, Camerarium, Siberum,
 Dornavium, Wilckium, Weitzium, Eveni-
 um, Gueintzium, Reyherum & reliquos de ju-
 ventutis studiis & re scholastica præclare me-
 ritos, quos qui non audiverit, nec nos,
 ipsum audiendum pu-
 ramus!*

Tantum!

Nunc

Nunc quoniam nostra hæc fausto stat littore
puppis,

Immensas humili grates persolvimus ore,
Ter Tibi, Sancte Deus, rerum moderator &
Autor,

Quòd nostro sancti spiraverit aura labori
Flaminis, & vires animi concesserit almas,
Ingenui juvenes duci virtutis ad arcem,
Utque suam possent his exercere juventam.
Gloria laus & honor Tibi sit, DEUS OPTI-
ME! semper.

Adsis porrò, precor, nobis, succurre benignè
Indignè pressis. casus superemus ut om-
nes,

Te Duce, virtutis studium sectemur, & orbis
Mores linquamus moros, ingrataque facta
Secli non retrahant rectos de tramite recti:
Utque Bono Summo per Te potiamur, &
in Te

Æterno cœli portu vitaque fruamur!

zévouito! zévouito!

S. D. G.

Ad



Ad Respondentem ingenuum,
Domesticum suum,

ἡσδίασμεα :

Ergò voluptatis *quæ sit natura decentis,*
Et speculativi *gratia quanta boni;*
Tradit ARISTOTELES, *Sophies celeberrimus autor,*

Sic sua concludens Ethica scita probè.
Hunc sequitur, *quisquis Sophies sectatur amores,*

Quique Boni Summi munera summa cupit.
Ille voluptatis *spurcæ contemnit amurcam,*
Sublimans animum cognitione boni.
Hunc imitaturus *dextro GÖBELIUS ansu,*
Huic exercitio *jam colophona parat.*
Sic benè concludis, *fastigia pulchra subaddens,*
GÖBELI, *Summum sic petis atque bonum.*
Sperne voluptatem, *nocet emta dolore voluptas,*

Consectans summum cognitione bonum,
Sic felix *pergens fastigia summa honorum*
Continges, *& erit clausula grata boni.*

Cum apprec. divina benedict.
ominor voueoq,

PRÆSES.

Ad



Ultra Sauromatas fugere hinc licet &
Garamantas,

Sj Curios simulant, qui Bacchanalia vivunt,
Quæritur hoc, *volupe* est: sed respondetur ei-
dem,

Non eadem nostra est, quæ sit tua sancta *vo-*
luptas,

Esse Sophon, sed amare Deum, Christumque
voluptas

Sola mihi fuerit; Sit & hæc tibi summa *vo-*
luptas.

M. T. O.

~~~~~

Προσφώνημα ad Ornatissimum Respondentem  
*Amicum suum perquam dilectum.*

**D**isseris hinc abiens doctè, quæ vera *volu-*  
*ptas,*

Atque tuum monstras, quod fuerit studiū.  
Quique gradus facti fido Ductore Magistro  
Nostro CAHLENO, Te benè qui docuit.  
Ito bonis avibus, nunc & feliciter auge  
Profectus! Patriæ proderis atque Tibi.

*add.*

M. Paulus Scheiner

Invi

**I**Nvida virtuti juvenū malè suada *Voluptas*,  
 Quam tamē ingenuæ disjicit artis amor.  
 Disjicit artis amor *Scelerum* genus omne,  
 quod oris

Candidi, *Amice*, tui verba modesta probant.

Nulla *Venus*, non luxuries, sed *Pallas* amica,  
 Quis rejicis dedecus, splendida verba dedit.

Pergito virtutis castos defendere mores,  
 Præmia laudati digna pudoris erunt.

ita suo ex primis gratu-  
 labatur

Magnus *SMU* | p. t. Philosoph.  
 Stud. in Alm, Lips.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

*Voluptas* in ore gerit mel, in corde fel,  
 in dorso anxios morsus.

**E**Nervat fortes etiam miseranda volu-  
 ptas,

Quæ malè sana cluit, quæ levis atq; brevis.

Dico voluptatem, quâ quis se frangere luxu,  
 Deliciisque parat luxuriare novis.

Nam

Nam quaedam nobis etiam est permessa voluptas.

Dicitur hæc animi: Corporis illa gravis.  
Hujus sunt tenui pendentia gaudia filo,

Siccitò, quod lætè floruit antè, ruit.

Hæc fuge, quæ marcent GÖBELI, gaudia  
justis

Hæc pro re vili sub pedibusque jacent

Hæc Amico suo de Voluptate &  
felicitate Theoreticâ di-  
sputaturus deproper.

JOHANNES Saltmeyer/  
Alvens. S.

~~~~~

IN cultis Sophies agris cui sola voluptas,
Eximius dignis laudibus ille venit.

Tale voluptatis specimen modò præstat
honestæ

GOBELIVS noster: Pergat! honestus
erit.

Pauca hæc in gratiam Responden-
tis raptim apponebat ejus
Contubernalis

ANDREAS WILHELMUS Osann/
Longo Salz: Thuring:

Quod

olu-

vis.

dia

Et

herf

563

5,

fat


cus

n-

u/

od









65604


Handwritten text, possibly a title or description, partially obscured by the label.


ULB Halle
007 397 542

3



VD 17





Farbkarte #13

B.I.G.



Fortunante CHRISTO!
EXERCITATIONUM ETHICARUM
Ad Lib. X. Ethic.
Nicom. Arist.

UNDECIMA, & ULTIMA,
DE
VOLUPTATE,
ET FELICITATE
THEORETICA,

quam
PRÆSIDE
FRIDERICO CAH-
ENO, M. & P.L.C. Gymnas. Hall,
nuper Rectore, Præceptore ac Hospite
suo fidelissimo, ac honora-
tissimo,

proponit defendendam
A.D. XVI. Marti, A.Æ.C. c10 c10 LIX.

JOHANNES GÖBELIUS,
Dresdensis Misen.

Literis OELSCHLEGELIANIS.

